

26  
THESES THEOLOGICÆ,

PRO

EXERCITANDIS STIPENDIARIIS,

CONS. MAX. VENER. FACULT. THEOL. AB.

EDITÆ

A

Mag. GUSTAVO GADOLIN,

THEOL. DOCT. ARCHI PRÆPOS., PRIMAR. THEOL. PROF.,  
EQUITE ORD. IMP. DE S. WLADIM.  
IN IV: A CLASSE,

RESPONDENTE

STENONE EDVARDO SJÓMAN,

*Stipendiario Publico, Borea-Fenn.*

*Publice ventilandæ*

In Auditorio Theolog. die VII Febr. MDCCCXXIV.

horis 2, m. convetis.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM,



### *Thesis I.*

**U**t veri quid vix invenitur, nisi quod quæritur, omnisque quæstio, sive socia multorum opera & juncto studio instituatur, sive diverse sentientium disceptationibus agatur, haud bene succedere solet, nisi accurate definitis vocibus, in artis & disciplinæ usum vel fictis vel conversis, ita dolendum quidem videtur, ob infinitam terminologiarum varietatem, & quia partim eadem non omnibus placent λέξεις, partim quæ pluribus probantur, immo quæ vulgari sermoni acceptæ debentur, ab aliis alio sumuntur sensu, sæpius forsitan de verbis quam de rebus disputari. Sed utcunque magnam litterarum studiosis haud raro creat molestiam, quæ in doctis, nec semper immerito, passim reprehenditur, sua quævis tuendi pertinacia, nihilominus vel ipsa illa fructu suo non destituitur, imprimis in iis scientiæ humanæ generibus, quorum vis in animum, vitam, mores, maxima est, conspiciendo; nam his iisdem, quamvis de eorum eximiis quibusdam incrementis realibus minor adsit spes, assidue tamen colendis acres stimulos admovent scholarum mutua, vel vanæ, lites & altercationes. Nec dubium est eorum haud pauca, ubi continuis acroaticis, controversiis & logomachiis locum non præbuisent, sed populariter tantummodo & simpliciter, h. e. non abstruse, nec magniloque & superciliose, suis sent tractata, summo



summo orbis nostri malo contemptui, quin forsan oblivioni, fuisse cesura. Quod idem de multis etiam Theologici fori polemicis valere, non est ut negemus,

*Thef. II.*

Posita igitur universim disensionum & controversiarum utilitate, oboritur quæstio, gravissima sane, sed multiplex, nec levi negotio solvenda, quid & quantum auctoritatis sit symbolicis libris tribuendum? Nam ab altera parte coecam fidem improbat & abhorret protestantismus, & veri inquirendi libertatem cuique asserens, ac ut omnes ea utamur, nec carbonariorum similes simus, jubens, & perfici Religionis formam posse, non negans, sed statuens. Ab altera jus habent ecclesia & civitas, ne detrimentum ipsæ capiant, cavendi, & quæ suis rebus optime conveniant, prospiciendi & definiendi. Veritas quoque, omnis generatim, speciatim Religionis, ut sancta habeatur & inviolabilis, ratio svadet, & publicæ salutis, & justî, honesti, decori, quorum sensu imbuti sani omnes sumus. Unde patet, in credendorum typo exprimendo æque esse vitandam nimiam sedulitatem & severitatem, ac negligentiam & socordiam, utramque valde noxiam & turpissimam, illam, quia sacra aliorum jura lædit, hanc, quia nefandæ licentiæ & erroribus viam sternit.

*Thef. III.*

Inter causas litium Theologicarum haud ultimo loco commemoretur varia vocabulorum S:æ Scripturæ, ad fidei doctrinam vel spectantium vel translatorum, interpretatio, quam scil. quisque, sæpe arte, nec tamen fraudulenter sive pravo consilio, fictam, aut conjectura magis minusve probabili nixam, ad suas partes juvandas accommodavit. Exempla hujusmodi exegeteos, non certis grammaticis & historicis rationibus suffultæ, sed arbitrariæ, & ut faveretur systemati cuidam præconcepto, sive excogitatæ sive inventæ, plurima facillime citare possit quivis sacrarum litterarum studiosus.

*Thef.*

#### Thef. IV.

Πολυσημα quoque in ipso N. Testamento esse multa vocabula, quæ ex hoc præcipuo Religionis Christianæ fonte hausta, dein in usum dogmaticum transierunt, constat. Sic, ut ex innumeris nonnulla afferamus, *χαρις* non semper opponitur τῷ ἁμαρτηματι, v. c. I Pet. II: 19, 20 (Cfr. Luc. VI: 32 — 34); τὸ δικαιοσδαι non ubique est modo remissionem peccatorum & favorem Dei consequi, Luc. XVIII: 14, Rom. II: 13, sed & e culpa liberum esse, I Cor. IV: 4, ac justum inveniri, Matth. XII: 37, Rom. III: 4; ἡ πισις alibi includit τὰ εργα αγαθα, Rom. V: 1, alibi consideratur seorsim ab *εργοις*, Jac. II: 14, 17; cet. Quas varietates si Theologi invicem disputantes diligenter satis animadvertissent, multos evitassent errores, in quos historia teste passim inciderunt, tum quique pro suis assertis vindicandis ad auctoritatem Scripturæ provocantes, tum inconsiderate, ne dicam immodeste & impie (in quo crimine Pontificii sunt), Apostolos ipsos mutui disensus & repugnantia arguentes.

#### Thef. V.

Male quidem Luthero Epistolam Jacobeam in suspicionem spurietatis venisse, quod Pauli de fide salvifica doctrinæ contraria ei videbatur, dudum est omnibus in confesso. Quam vero injuriam is Jacobo intulit, eandem ipse dein passus est magnus Reformatorum autesignanus, multis, quibus ejus terminologia displicuit, exosus, quod fidei omnia tribuens, bona opera ad salutem esse necessaria negavit, quin ea, e fide scil. non prodeuntia, splendida esse peccata pronuntiavit: nihil sane hisce verbis, utut dure sonantibus, adstruere volens, aliud quam quod moment Philosophi characterem & præcepta veræ virtutis tradentes.

---